

PROFVNDISSIMVM

OMNIGENÆ LITTERATVRÆ FLVMEN, DE
loco voluptatis Virginis Redemptricis Matris egrediens,
in Capitaque quatuor diviſum, vniuerſam, fœcundiſsi-
mamque Procerum Sacratæ Theologiæ Murcienſis decla-
mate per orbem Regionis rationalem terram perluſtrans,
clariſsimis, ſalutiferisque Angelici Thomæ fluentibus irri-
gans, Magnique Auguſtini Parentis, aliorumque Eccleſiæ
Doctorum Sacros eloquentiæ rivulos Sacratis Divini Ver
bi præconibus dulciſono ſtrepitu erumpens. Odoratiſsi-
mus Sapientiæ faſciculus, & Minervæ floribus vernans, &
Palladij Clypeo munitus, in quo, & Theologicæ diſcipli-
næ dynaſtæ pulcherrimos ſeligendos flores invenient, &
divini eloquij præcones præclaras ſanè mirabuntur decla-
mationes, ad tam nota, magnaliaque celebranda Eccleſiæ
luminarium clariſsimorum, Regalisque Sacræ, Candidæ,
Redemptricis Familiæ Parentum, & iubarum, dum floren
tiſsima Vandaliæ Provincia, divino numini ſtudens place-
re, Provinciali Capitulo congregata, illorum præcellen-
tium virtutum Pannegyricas laudes decantat, theologi-
casque diſputationes proponit, per quatuor dierum cur-
ricula, quæ attento debent calculo numerari à die 15. men
ſis Februarij, vſque ad 18. eiuſdem; Almumque præfati
Ordinis Murcienſe Cœnobium publicum erit litteriſticæ
pugnæ ſtadium, ad exteros hilariter canens.

Lemmata promit amor libito verſanda Magiſtri.
Sume tibi arguens lemmata quæque velis.

SERIES,

SERIES, SIVE ORDO SERVANDVS IN SACRIS *ſolemnitatibus, & Theologicis diſputationibus pro Capituli celebriori plauſu.*

SOlemnitas primæ diei, quæ eſt Dominica, quintadecimaque menſis Februarij, dicatur ex corde in debitam gratitudinem illius per tot ſæcula, apparitionis ſemper mirabilis, qua Virgo Beatiſsima de Mercede, de Cœlo in Barchinonam deſcendit, ad noſtræ Sacræ Religionis inſtitutionem, divino conſilio decretam, ſerena fronte nunciandam; & vt tanti beneficij, & revelationis debitæ Matri Virgini gratiæ referantur, præclaro oneri ſatisfaciet P.M.Fr. Hyacinthus Aturiac noſtri Hiſpaniarum Regis Catholici Eccleſiaſtes, ſeu orator; veſperè autem reget pro theologica pugna ſuggeſtum P. M. Fr. Didacus de Ibarra Magni Hiſpalenſis Cœnobij Emeritus Commendator, cui propugnaturus aderit P. Lector Fr. Ioannes de Santolalla eiuſdem Conventus Artium Cathedrę Moderator.

Secundæ diei, quæ Februarij eſt 16. celebritas, ſacerque cultus merito venit dicandus in laudem, & gloriam illius primi hominum Redemptoris imitatoris mirifici, noſtrique Regalis Candidi Cœtus digniſsimi Patriarchę, amantiſsimique Parentis Divi Petri Nolaſco, cuius egregias virtutes, excelſaque merita plaudet P. M. Fr. Franciſcus Barnuevo, iam olim pro hac Bœtica Provincia Generalis elector; ad veſperum autem in Palęſtra lubens adſtabit diſputationi Theologicæ prę̨ſidere P. Præſentatus Fr. Ioſeph Montiel almi Carilienſis Conventus, pro meritis Præſul, cuius erit Propugnans P. Lector Fr. Ildefonſus Loſſada, in præclaro Granatenſi Cœnobio rationalis Philoſophiæ profeſſor.

Tertiæ diei, quæ eſt 17. Februarij, dicanda venit ſolemnitas, in debitam gratulationem, & cultum illius naturæ, ſimul & gratię miraculi Sancti Raymundi Nonnati, Sanctę Eccleſiæ Romanę, titulo Sancti Euſtachij inſigniti, ampliſsimi Cardinalis, & noſtrę Candidæ Redemptricis Familię ornamenti, & decoris, eiuſque Panegyricas laudes canet P. Præſentatus Fr. Petrus Rabens. Poſt meridiem autem in litterariam deſcendet Paleſtram diſputationis Theologicæ Pręſes P. Lector Fr. Ludovicus de Villavicencio, iam in Sacra Scientia Iubilatus, & huius Provinciæ à Secretis, cuius erit Paleſtrita P. Lector Fr. Ioſeph Thamariz in Aſtigienſi Conventu phyſicorum Cathedræ anteceſſor.

Quarta die, quæ eſt 18. Februarij, colitur memoria Excellentiſsimorum, pariter excelſorumque Principum Marchionum de Fuentes, Comitum de Saltes, Marchionumque de Peñaflor, & Gayape Provinciæ Patronorum, & tutelarium, quorum in illam magnificentiæ, eius nomine gratias aget, ſuper ipſorum orando Mauſolęo P. Lector Fr. Didacus de Zaldua in Theologia Iubilatus, & Commendator Giennenſis; & denique veſpere Theologicę Pręſidere Concertationi promptus aſſiſtet P. Lector Fr. Franciſcus Suarez, in Regio Granatenſi Cœnobio olim primariæ Sacræ Theologiæ Cathedræ Moderator, nunc vero Studiorum Regens, cuius erit ſuſtentans P. Lector Fr. Gaſpar de Navas, præ inſignis Malacitani Conventus naturalis Philoſophiæ Cathedram tenens.

(***)

PRÆEXCELSO DOCTRINÆ,

ET VIRTVTVM CVLMINI.

SPLENDIDIDISSIMO ECCLESIÆ SOLI, CVIVS pulcherrimis ardentiſsimis radijs, & orthodoxa accepere dogmata lucem, & Mahometica deliramenta exterminium.

CHERVBICO DIVINÆ SCIENTIÆ DOCTORI, AB ipſo hominum, & Angelorum Magiſtro, Domino, ſervatore, iure optimo, laureato; cuius Deus adeo gratum habuit ſtudium, vt horrido, tenebricoſoque carcere clauſo, cœleſtem miſſerit nuncium, face illuminantem accenſa, vt barbaras Alcorami fictiones fœlici calamo confutaret.

TVTISSIMO CAPTIVORVM PRÆSIDIO, PRO quibus è ſarracenorum tyrannide liberandis, innumeros fere, non tantum effudit, Paterno amore, theſauros, ſed pluries etiam in prætium obtulit libertatem propriam & vitam.

EXIMIO CHRISTIANÆ FIDEI PRÆCONI, CVIVS ignito, ad vſque miraculum, verba, non ſolum Chriſtianorum lampades iam extinctas, firmiſsimo fidei fecit ſplendeſcere lumine, ſed infidelium etiam perfidas mentes ad veritatis lucem eduxit.

STRENVO VIRGINEÆ PVRITATIS PROPVGNATORI. Validiſsimo Catholicæ Religionis Cardini.

Inclyto inquam

D. PETRO PASCHASIO

DE VALENCIA,

GRANATENSIS SEDIS VIGILANTISSIMO QVONdam Præſuli, Giennenſis etiam amantiſsimo Capiti, Maiori Cancellario Caſtellę, Granatæque, in orthodoxæ fidei obſequium, rubicunda Martyrij purpuraſcenti laurea.

TANTO ERGO MERCEDARIÆ REDEMPTRICIS Familiæ iubari, ſua Bœtica Provincia, ad cœtum Provincialem Conventa, theologica theoremata iſta, ex prima Ang. P. parte deprōpta, indebitæ venerationis indicium, in gratitudinis monimentum, in aliqualem amoris theſſeram, tutanda offert, fouenda ſacrat, protegenda vouet.

PRAEXCELSO DOCTRINÆ,

ET VIRTVTVM CVLMINI.

SPLENDIDISSIMO ECCLESIÆ SOLI, CVIVS pulcherrimi ... radijs ... [illegible]

... Monumenta ... [illegible]

... æternitatem.

CHERVBICO DIVINÆ SCIENTIÆ DOCTORI ... [illegible]

[illegible]

✱ PRIMVM THEOREMA. ✱

CVm regius Pſalmiſta vaſtum id, immenſumque Divinę Scientię Pelagus inſpiceret, vertigine quaſi tentatus obſtupuit, ac ſummo cum timore demirans receſsit, atque exclamavit: *Mirabili facta eſt Scientia tua ex me*. Pſalm. 138. Quis ergo ſine fidei detrimento, ſcientiam eſſe in Deo in dubium audebit vertere? Hanc ex immaterialitate infert Ang. Doct. cuius rationem eſſe demonſtrationem efficacem propugnamus. Dei cognitio eſt cum proprietate Scientia, quę etiam circa ſua attributa invenitur, & ſimiliter erga quaſcumque veritates creatas. Scientię Deificę propriam quidditatem magna cum attentione conſiderantes, pro inconvenienti minime reputamus, illam per modum facultatis proximè intellectiuæ à natura Dei, & ab actuali intellectione ratione ratiocinata diſtingui. Datur in Deo principium proximum virtuale intellectionis eſſentialis, ſicut, & potentia realis proximè intellectiua.

SECVNDVM THEOREMA.

IN ordine ad intellectionem ſalvatur in Deo formalitas ſpeciei, ſed in intellectu eius ratio habitus minime invenitur. Primarium Divini intellectus obiectum non eſt ens vt analogicè commune creato, & increato enti, ſed tantum ens in creatum, Rationem motiui obtinet ſola Divina eſſentia, vt diſtincta à relationibus, & abſolutis proprietatibus, & eodem modo inſpecta, rationem formalis terminatiui ſortitur. Deus cognoſcit creaturas poſsibiles in ſe ipſo, vt in obiecto, & cauſa prius cognita; illiusque cognitio immediata, tam motiuè, quam terminatiuè creaturarum in ſe ipſis impoſsibilis à nobis iudicatur.

***

TER-

* TERTIVM THEOREMA. *

CLara Dei viſsio; quę ratione ſplendoris omnes fi-
dei vmbras diſsipat, & ignorantiæ tenebras ex-
pellit, meridies appellatur: vnde Sponſa in Canticis:
*Indica mihi quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes
in meridie?* Hic nec tuta manſio, nec plena refectio, nec
clara lux; in vmbra fidei viuo, ad lucem ęternę gloriæ
anhęlo, & ideo indica mihi, vbi cubes in meridie? Si
ergo Sponſum in meridie videre, eſt Deum intueri cla-
rè, poſsibilis viſio Dei prout in ſe; ita eſt, aiebat Iſaias
33. *Regem in decore ſuo videbunt oculi eius.* Deus ita vi-
ſus continetur ſub obiecto ſpecificatiuo noſtri intel-
lectus, tam motiuo, quam terminatiuo, non vero ſub
naturali, nec ſpecificat noſtrum intellectum ſecundum
vltimam illius differentiam. bene tamen ſecun-
dum rationem Angelico, & humano in-
tellectui communem.

***

QVAR-

QVARTVM THEOREMA.

NVlla in viſione beata interuenit impreſſa, & creata ſpecies; talem enim ſecum affert repugnantiam, vt quamuis ſuo Diuino abſoluto poſſe vtatur ipſe Deus, impoſsibilis reputatur talis ſpecies quidditatiue Deum repreſentans; id ipſumque affirmamus de verbo creato, ſeu ſpecie expreſſa. Lumen gloriæ eſt totalis proxima virtus agendi in viſionem Beatificam, quę implicat elici à creato intellectu abſque aliqua forma illum ad eam eleuante; præter quam in natura rationali debemus admittere principium radicale ſuper naturale ad elicientiam talis viſionis, quod de facto eſt gratia habitualis; in abſentia tamen illius donum radicale ſuper naturale neceſſarium eſt, ita vt ſine illo nec de potentia abſoluta poſsit viſio produci.

QVIN-

QVINTVM THEOREMA.

STando tam in principijs fidei, quam luminis naturalis, negari non poteſt eſſe in Deo voluntatem, colligitur ex varijs ſcripturæ locis, in quibus paſsim voluntas Deo attribuitur, ad Rom. 12. *Vt probetis, quæ ſit voluntas Dei*. Et pluribus Concilijs contra Monothelitas definitum fuit, in Chriſto duplicem eſſe voluntatem, humanam ſcilicet, & Divinam. Huius Divinæ voluntatis obiectum, tam motivum, quam terminativum in ſola bonitate Divinę eſſentiæ, prout virtualiter diſtinguitur ab alijs prędicatis, conſiſtere aſſeueramus. In Deo datur voluntas per modum potentiæ. Liberum Divinæ voluntatis decretum, non in denominatione extrinſeca, neque in reſpectu rationis ad creaturas, ſed ſolum in terminatione defectibili ſalvatur. Deus in tempore nequit incipere velle, nec à libera volitione deſiſtere.

SEXTVM THEOREMA.

REx pœnitens, quaſi introſpiceret philoſophos aſ-
ſerentes: nihil eſſe in mundo præter res corpo-
reas, vt huic amentiæ ocurreret, arripuit zitharam, &
eam manu ſua percutiens ſuavi, dulciſonaque voce de-
cantare incepit: *Qui facit Angelos ſuos Spiritus*: Pſalm.
103. Ex quo conſtat: ſupremum vtriuſque machinæ
opificem, & authorem, pure ſpiritualem naturam, An-
gelicam nempe, formaſſe, cuius individui ſunt omnino
expertes materiæ corporeæ. Materia vero pure ſpiri-
tualis ex qua, vt comparte aliqua creatura cōponatur,
impoſsibilis eſt. Angelus inferior non poteſt ſuperio-
rem comprehendere; neuter illorum valet, ſolo natu-
rali lumine, evidenter cognoſcere Incarnationis Myſte-
rium. Angelus ad propriæ ſubſtantiæ cognitionem non
eget Verbo, ſeu ſpecie expreſſa diſtincta à propria
ſubſtantia. In primo creationis inſtanti
nequiuit peccare.

Pro prima die Capituli Prouincialis Florentiſsimę Vandalicæ Eparchiæ Sacrati, Regij, Militarisque Ordinis Beatiſsimæ Ma-rię Virginis de Mercede Captiuorum Redemptricis, Theologi-ca hæc tuetur theoremata P. Lector Fr. Ioannes de Santola-lla, Protectioni innixus P.M.Fr. Didaci de Ibarra Magni Hiſpalenſis Conventus Commendatoris Emeriti.

Die 15. Februarij. Anno Dñi. 1693.

Adſtante Rmo. P. N. M. Generali.

NOBILITATIS NATVRÆ

CLARISSIMO STEMMATI.

Rutilantiori comitum vrgelenſium coronæ.

PVLCHERRIMO, E MYSTICA FOECVNDISSIMA
vite, fœliciter pullulato Palmiti.

DIVINÆ GRATIÆ MIRIFICO FOETVI, QVEM EX
atris vitiorum moribus, ex horridis, ſyluoſisque peccatorum
lucis, Dominus ad Religioſę perfectionis culmen euexit, cum
de leonum cubilibus, de pardorumque montibus euocauit, ad
Mercedarij libani de albationem, vt triplicem (interprete V.
Beda) animę lucraretur profectum, cogitationis videlicet, lo-
qutionis, & operis; quem Deus denique ad martyrij Regiam
benigniter exaltauit Coronam; vt ei adaptari merito poſsit,
quod Cant. cap. 4. Ioannes Carmelitanus ſcribit, ex magni mē
te Hyeronimi: *Coronā de perſecutione recipies, dū in Libano viuens, montium vbi feræ habitāt aduerſus patieris incurſus.* Celeberrimo
Chriſtianæ Religionis trophæo, infidelitatis, tyrannidis,
mortis clariſsimo vindici.

PRÆCLARO IGITVR, INTER EGREGIOS, MARTYRI

D. PETRO ARMĒGAVDO,

CATHALONIÆ TOTIVS LVMINARI SVPREMO,
imò, & totius Hiſpaniæ clariſsimo lumini, qui primi Redemp-
toris ad inſtar, pro Captiuorum liberatione, ſe ipſum ſponte
in ſeruitutem devinxit; quem rabida ſarracenorum impietas
fune ad collum interemiſſet ſuſpenſum, niſi Auguſtiſsima Cœ-
lorum Regina, per quatuor integras luces, materno
benigniſsimo amplexu, tormenti, & mortis
ſeruaſſet victorem.

HVIC ERGO INVICTISSIMO CHRISTI AHTLE
tæ, ſua Vandaliæ Redemptrix Provincia, Provincialibus Con-
gregata Comitijs, Theologica iſthæc theoremata, ex Angeli-
ci P. prima ſecundæ deducta, ſubmiſsè ſacrat,
denotè offert, hilaris libat.

PRIMUM THEOREMA.

O*Mnes ſitientes venite ad aquas, &c. quare appenditis argentum non in panibus, & laborem veſtrum nõ in ſaturitate?* Ait ſacer text. Iſaię 55. vbi clare nobis demonſtrat: beatitudinem obiectiuam, ſupernam illam fœlicitatẽ, quę creaturę rationalis appetitum ſatiat, conſiſtere nequire in divitijs, fama, aut in quocunque alio creato, vel creabili bono; ſed in Deo quidditatiue cognito ſitã eſſe. Eius conſtitutivum ita ingredi debent omnia, quę formaliter ſunt in Deo, nunc abſoluta, nunc relatiua ſint, quod ſi per impoſsibile videretur vt vnus, & Perſonarum trinitas lateret, addant, vel non relationes ad eſſentiam relatiuas perfectiones, hominis obiectiua beatitudo non ſubſiſteret. Obiecti beatificantis formalis adeptio, qua beati formaliter nuncupamur, eſſentialiter, & quidditatiue non conſiſtit in actibus intellectiuæ, & volitiuę potentię, nec in actu voluntatis in recto, ſed in ſolo actu intellectus ſalvatur. Formalis beatitudo ita exigit ab intrinſecis beati procedere, vt nec defacto, nec de poſſe Dei abſoluto creatura poſsit per increatam intellectionem beari. Beatorum voluntas taliter fertur in Deũ diligendum, quod eorum amor eſt neceſſarius tam quoad ſpecificationem, quã quoad exercitium. Beatos eſſe impeccabiles ab intrinſeco ex beatitudinis natura affirmamus, quorũ impeccabilitatis ſufficiens cauſa eſt beatifica viſio; quo circa amore per impoſsibile in volũtate nõ ſubſequuto, vi ſolius viſionis impeccabiles extitiſſent. Viſio beatifica, tam vt viſio, quã vt beatitudo, eſt ex propria natura incorruptibilis, ſiue reſpectu cauſæ primæ, ſiue reſpectu cauſæ ſecundæ.

★ SECVNDVM THEOREMA. ★

F*Acti ſunt abominabiles ſicut ea, quæ dilexerunt.* Hęc ſacra Pagina teſtatur, Oſſeę, cap. 9. quę verba manifeſte declarant, humanorum actuũ moralitatẽ, eis formaliter convenire per reſpectum ad obiectũ regulatum regulis morum. Eiuſmodi reſpectum non eſſe rationis, ſed realem, non prædicamentalem; ſed tranſcendentalẽ; dicimus. Ad actuum humanorum moralitatẽ non vt formalis ratio, ſed vt fundamentum dumtaxat, libertatem exigi, pro comperto habemus. Actuum humanorum moralitatis duas regulas aſsignant Thomiſtæ; aliam radicalem, & aliam proximã. Prima eſt lex ęterna in mente Divina exiſtens. Secunda eſt dictamen rationis, prout eſt legis ęternæ participatio. Et ſi ad bonitatem moralem, quę prima ſpecies eſt in genere moris, requiratur collectio omnium eorum, quæ illi ſecundum rectam rationem ſunt debita, tamen in eiuſmodi collectione cõſiſtere nequit, nec in aliquo rationis, nec in extrinſeca denominatione, ſed in tranſcendentali relatione ad obiectũ morum regulis conſonum conſiſtit. Specifica, & prima moralium actuum bonitas, vel malitia prouenit ab obiecto tanquam à cauſa formali extrinſeca, & immediata; cum quo tamen recte cohæret, eiuſmodi actus moraliter conſideratos bonitatem, & malitiam ex circunſtantijs accipere. Dari actum aliquem, qui in indi vi duo cõſideratus moraliter, & cum omnibus circunſtantijs determinata bonitate, vel malitia non gaudeat, ſed ad vtrumque potíus indifferens ſit, contradictionem implicare tuemur.

⁂

TER-

7

✱ TERTIVM THEOREMA. ✱

PEr vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt. Ait Ap. ad Rom. 5. quibus verbis nobis declarat, indubitata fide tenendum eſſe, paruulos ex Adamo deſcendentes, nō ſolum peccati pœnā, ſed etiam culpam, & peccatū contrahere. Originale peccatum eſſe dicimus parvulis voluntarium volūtate Adę, vt naturę capitis, & totius poſteritatis radicis tam in eſſe phyſico, quam in eſſe morali; hocque voluntariū ſufficit, vt peccatum originale inde ſubſequtum ſit verum peccatum, veraque macula eos filios irę conſtituens, ob noxiosque ęterno ſupplitio. Primū Adę peccatū fuit cauſa traductionis culpę originalis, non quia tale, ſed quia primum; quo circa, ſi quodvis aliud prius commiſiſſet, totam humanā infeciſſet naturam. Subiectum immediate receptivum peccati originalis ſecundū culpę eſſentialem rationem inſpecti, eſt anima; in eius vero potentijs mediate, & ratione eff ctuum, & proprietatū ab illa procedentium, ſubiectatur. Formalem rationem peccati originalis conſtitutiuam eſſe priuationem iuſtitiæ originalis, voluntariam nobis ex vi peccati Adami, nō vt tollit omnes eius effectus, ſed vt aufert pręcipue ipſius effectum primarium, communem tali iuſtitię, & gratię ſanctificanti, qui eſt ſanctificare, & rectificare animā in ordine ad Deum, vt quid D.Th. menti, & doctrinæ conformius iudicamus. Originalis culpæ ſub ratione offenſę Dei attenta gravitas, poteſt vtraque pœna, damni, ſcilicet, & ſenſus abſque ylla iniuſtitia puniri; & ſi defacto parvuli cum ſolo originali peccato ex hac vita migrantes tantū pœna damni puniantur.

QVAR-

QVARTVM THEOREMA.

ATtendite ad me popule meus, & Tribus mea me audite, quia lex à me exiet. Hęc Sacra Pagina Iſaię 51. qui-
bus manifeſte nobis declarat: Deū ſupremū eſſe legisla-
torē, cuius abſolutū eſt ſuper omnes dominiū. Lex quā-
tum ad ſubſtantiam in actu intellectus conſiſtit, & ſi pre-
ſuppoſitiue, & de connotato volūtatis actum importet.
Legis promulgatio nō eſt eſſentia, aut ratio formalis il-
lius, sed dumtaxat conditio neceſſario requiſita, vt actua
liter obliget ſibi ſubditos. Diuinę Sapiētiæ rationē exiſ-
tentem in Deo ab æterno, ſecundū quod eſt directiua om
nium actuum, omniumque motionum omniū creaturarū
in ordine ad bonum commune totius vniuerſi, eſſe verā,
& propriam legem, inter alias præcipuam, imo aliarum
omnium fontem, & exemplar, fatemur. Lex naturalis pa-
ti non poteſt niſi mutationem impropriam, ſiue ex parte
materiæ, nec per aliquam poteſtatem ſiue humanā, ſiue
diuinam poteſt in illa diſpenſari proprie, videlicet rela-
xando obligationem immutata materia præcepti, bene
tamen improprie, mutando nempe materiā ex qua pro-
xime legis obligatio oriebatur; nunquam poteſt abroga
ri, nec illi vnquam derogari, & licet locum poſsit habe-
re in illa ſimplex interpretatio, epijKia illum habere ne-
quit. Et ſi leges humanæ neceſſario ad culpam morta-
lem nō obligent, ſed ad ſolam venialē obſtringi queant,
nihilominus poſſunt ad illam obligare, dummodo ſit in
materia graui, & legislator intendat ſub mortali obli-
gare, materiæ grauitate ſuppoſita; ſecus vero ſi aliter cō
tingat. Princeps, ſeu legislator ſuis legibus ſubditur,
quoad poteſtatem directiuam, minime vero
quoad vim coactiuam ſeu coerciuam.

QVIN-

8

✶ QVINTVM THEOREMA. ✶

G*Ratia per Ieſum Chriſtum facta eſt, & omnes de plenitudine eius accepimus*. Profert Ioan. cap. 1. vbi clare nos docet: hominem à Deo ſupernaturali gratia exornari, qua proportionatus exiſtat, ad operãdum erga ipſum Auctorẽ ſupernaturalem. Homo lapſus ex proprijs viribus, & abſque ſpeciali gratia nõ poteſt potentia morali, & expedita cognoſcere omnes veritates naturales, ſiue practicas, ſiue ſpeculatiuas collectiue ſumptas; bene tamen cognoſcere valet omnes naturales veritates ſpeculatiuas diviſiue acceptas. Homo lapſus concurſu ſibi ex vi creationis debito, opus aliquod honeſtum ordinis naturalis efficere poteſt, tam potentia antecedenti, quã cõſequenti, tam phyſice, quã moraliter expedite, & abſque vllo obice; cum quo tamẽ recte compatitur in eiuſmodi nature lapſę ſtatu ex ſuis viribus vincere non poſſe quálibet grauem tentationem; ſicut nec operari opus difficile, ac arduum. Habitualem ſanctificantem gratiam eſſe participationem phyſicam naturæ divinę formaliter, & reduplicatiue vt infinita eſt, habetque totam eſſendi plenitudinem, vt verius tuemur. Habitualis gratia, ita ſe ſola filium Dei adoptivum adęquate conſtituit, vt contradictionem implicet, filiationem adoptivam ſine illa ſalvari. Habitualem gratiam realiter non identificari cũ charitate, ſed potius ab illa realiter diſtingui, cũ A. M. pro cõperto habemus. Gratia ſanctificans proprie non eſt creata, nec concreata, ſed de potẽtia obediẽtiali animę educta. Licet homo iuſtus habere poſsit probabilem, & coniecturalem cognitionem, certitudinem ve de ſua gratia, & iuſtitia; nihilominus privilegio, & ſpeciali fauore ſecluſo, non eſt poſsibilis propriæ iuſtitiæ certitudo moralis omnem formidinẽ excludens, ſimilisque ei, qua huic propoſitioni *Granata eſt*, aſſentimur.

SEX-

✶ SEXTVM THEOREMA. ✶

D*A nobis Domine auxilium de tribulatione.* Hæc Regius Vates. Pſalm. 59. vbi Catholica Fide docemur, dari, & eſſe ſimpliciter neceſſaria, ante, & poſt lapſum divinæ gratiæ auxilia à Deo gratis collata, vt valeat homo, & eliciat opera ad animę ſalutem cōducentia. Divinę gratię auxilium aliud eſt ſufficiens, & aliud efficax. Illud eſt, quod præſtat poſſe, ſeu ſufficiētiam ad ſupernaturaliter operandū. Iſtud vero eſt, quod ad ipſum bene operari determinat in actu ſecundo. Vt creatura in tempore operetur ſecundum divinæ voluntatis concilium, pręter auxilium ſufficiens omnibus ex vi creationis debitū, requiritur auxilium efficax, ſeu phyſica prędeterminatio, qua prędeterminetur, & pręmoveatur à Deo. Huius phyſicę prędeterminationis neceſsitatem inferimus, tum ex eo, quod Deus cauſam ſecundam ad operandū applicat, & ad agendum movet; tum etiam ex conceptu ſub ordinationis cauſæ ſecundæ ad primam. An autem hęc phyſica prędeterminatio, qua cauſæ ſecundæ à Deo movētur, & prædeterminantur vt in actu ſecundo operationē aliquam ſupernaturalem eliciant, taliter eas determinet, vt earum tollat libertatē, an ve cum illa concordari queat? valde celebris controuerſia eſt inter Thæologos. Nos tamen A.N.D. veſtigia ſectantes, affirmamus, tam longe ab eſſe eiuſmodi prædeterminationem libertatem cauſarū ſecundarum lædere, quin potius agens liberum creatū, vt libere agat debere nō à ſe, ſed à Deo prędeterminari. Vnde ad creatam libertatem ſalvandā, recurſum ad ſcientiam mediam neceſſarium non eſſe iudicamus. Cumque in omnibus infallibiliter operationē inferat, propter infallibilem connexionem cum illa æqualis efficatię eſſe in omnibus, pro viribus propugnamus.

SEP.

* SEPTIMVM THEOREMA. *

SI fuerint peccata veſtra ſicut coccinum, quaſi nix de albabuntur, & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus velut lana alba erunt. Ait Sacra Pagina Iſaiæ 1. quæ verba evidẽter declarant, in impij iuſtificatione nõ tegi, ſed vere, & proprie deleri peccata. Impij iuſtificatio non fit per Dei, vel Chriſti iuſtitiam nobis extrinſece imputatã, ſed per realem, & internam quamdam iuſtitiã, qua ab omnibus peccatorũ ſordibus emundamur. Noſtræ iuſtificationis cauſa formalis, & adæquata, non eſt ſola gratia habitualis; quo circa poſsita habituali gratia in eſſentia animæ, & alijs virtutibus præciſis homo, nec foret, nec diceretur formaliter iuſtus. Si autem quis indagare intẽdat, cui ratio cauſæ formalis, & adæquatæ noſtræ iuſtificationis competat? Reſpondemus, omnibus habitibus infuſis, nẽpe gratiæ habituali, virtutibusque ſupernaturalibus nõ ſolum theologicis, ſed etiam moralibus, & ſupernaturalibus donis quatenus rectum ordinem immediate tam in anima, quam in eius potentijs conſtituunt. Homo, etiam per Dei extraordinariam potentiam, iuſtificari non valet, nec perfecta, & completa, nec imperfecta, & incompleta iuſtificatione per externum Dei fauorem. Gratia habitualis ita incomponibilis eſt cum peccati læthalis macula, quod etiam divino poſſe inſpecto, in eodem ſubiecto, & pro eodem inſtanti compati nequæunt. Contritio, vt diſpoſitio vltima eſt ad gratiam iuſtificantem non eſt elicitiue ab illa, ſed ab auxilio à gratia realiter diſtincto; formatiue autem eſt ab ipſa habituali gratia. Fides, quam ad adulti iuſtificationem requiri dicimus, nõ eſt fiducia, qua credimus, ſeu confidimus, peccata noſtra eſſe nobis remiſſa.

✶ OCTAVVM THEOREMA. ✶

B*Eneficentiæ, & communionis nolite oblibiſci: talibus enim hoſtijs promeretur Deus*. Hæc ad Hębreos 13. ſcribit Apoſt. quibus nobis oſtendit: hominem, divino oppitulantę fauore, aliquid de condigno apud Deum mæreri. Vt aliquis actus meritorius euadat, debet eſſe moraliter bonus, & liber, nō ſolum libertate imperfecta, & inchoata, ſed perfecta, & completa; inſuper elici debet à ſubiecto exiſtente in gratia, & in viatoris ſtatu poſito. Cū opera noſtra tot, tantisque titulis Deo ſint debita, aliqua ordinatio divina eorum ad pręmium eſt neceſſaria, vt meritoria de condigno dici poſsint; eiuſmodi tamen divina ordinatio in pacto, vel Dei promiſsione conſiſtens, non ita ad meritum eſt exacta, vt noſtris operibus det dignitatem, & valorem vitæ ętenę præmio ęqualem, ſed dumtaxat, vt meriti retributionis in Deum obligationem inducat.

✶✶✶✶✶✶✶✶✶✶✶✶✶✶✶✶✶✶✶✶✶✶✶✶✶✶

Pro ſecunda die Capituli Provincialis, adſtabit propugnans Fr. Ildefonſus Loſſada Regij Iliberitani Cœnobij Rationalis Philoſophiæ moderator, feliciter auſpicante P. Præſentato Fr. Ioſepho Montiel Cariſienſis Conventus meritiſſimi Præſulis. Die 16. menſis Februarij. Anno Domini 1693.

Adſtante, & fauſto numine protegente R.mo P. N. M. Generali.

FVLGENTISSIMO PVRITATIS SPECVLO, IN QVO naturæ, ſimul, & gratiæ certatim dona reſplendent.

MAGNIFICO DIVINÆ OMNIPOTENTIÆ PORtento, in quo Dominus, quibus Apoſtolorum Principis excellentia (Epiſcopo teſte Maximo) clariori luce ſplendeſcit, pluries iterauit magnalia.

PRÆTIOSISSIMÆ CANDIDÆ REDEMPTRICIS Familię Gemmę, cuius perlucidis Virginitatis Cādoribus, abiectiſsimę humilitatis exemplis, charitatis ardentiſsimæ ſignis, omniumque virtutum decore, fœliciter ornatur ad laudem.

Tutiſsimo Barchinonenſium Aſylo. Optimæ Navigantium Patronæ, Advocatæ, ductrici.

FOELICISSIMÆ IGITVR CHRISTI SPONSÆ

S MARIAE DE SOCORS,

NON MINVS SANGVINIS CLARITVDINE COLENDiſsimæ, quam vitæ ſanctimonia mirabili, cui Dominus ampliſsimum adeò conceſsit, ſuper maris vndas, dominium, vt calcabiles, terræ ad inſtar, tota mirante natura, continuo experiretur miraculo; cuius virgineo corpori vita functo, ita marini gurgites obediere, (Barchinona obſtupeſcente vniuerſa) vt cum fluctus, inſtar montium, intumeſcentes, civitatis iam mœnia altitudine ſuperarent, mortiſque minarent domos, & ciues, ſacro adveniente corpuſculo, ad præfixum terminum reſilire.

HVIC ERGO PRÆCELLENTI VIRTVTVM SVMMÆ, à fœlicis, amabiliſque cunctis memoriæ Eccleſiæ Pontifice Summo, Innocentio Vndecimo huius nominis ſanctorum faſtis adſcriptæ, ſua Vandalica Redemptrix Eparchia, ad Provincialem adunata Capitulum, theologica hæc theoremata, ex Angelici P. ſecunda ſecundę deprompta, cordicitus ſacrat, & reuerenter offert.

FVLGENTISSIMO PVRITATIS SPECVLO, IN QVO naturæ ſimul, & gratiæ certatim dona reſpondent.

MAGNIFICO DIVINÆ OMNIPOTENTIÆ POR- tento, in quo Dominus quibus [illegible] Patro [illegible] ex- cellentia (Epiſcopo te [illegible] Maximo) [illegible] -

d [illegible] plurimis [illegible]

FRA [illegible] CANDID [illegible] CIS FA- [illegible]

PRIMVM THEOREMA.

FIdes virtus theologica, quæ (elucidante Apoſtolo) eſt *ſperandarum ſubſtantia rerum argumentum non apparentium*, ſolum Deum habet pro obiecto primario terminatiuo; alia vero extra Deum, tantum ſunt eius terminativum ſecundarium; adæquatum autem eius obiectum *quod* non eſt Deitas, aut Divina natura ſeorſim ab attributis, nec vnum attributum ſine alio, ſed eſt Deus ipſe ſecundum omne divinum prędicatum requiſitum ad completam eius phyſicam conſtitutionem; motivum tamen formale, ſeu obiectum formale *quo* fidei, eſt veritas divina, ingrediente etiam de formali, & non ſolum præſuppoſitiuè, ſumma Dei ſapientia, qua non poteſt falli; ita vt ex veritate prima in cognoſcendo, & ex veritate prima indicendo motivum formale, tam habitus fidei, quam cuiuſcumque eius proprij actus coaleſcat. Non poſſe ſupernaturalem fidem aſſenſum falſum prębere, vt certum iudicamus; cōpoſsibilemque eſſe cum evidentia atteſtationis, vt conformius ad Divi Thomę mentem tuemur. Actus fidei eſſentialiter expellit ab eodem intellectu, reſpectu eiuſdem obiecti actum ſcientificum; idemque philoſophamus de habitibus ad invicem comparatis; eſto actus ſcientię vialiter, imperfecteque ſubiectum afficiens, cum habitu fidei ſupernaturalis compari poſsit.

****
*****

SECVNDVM THEOREMA.

SVpernaturali fidei, ſpes accedit infuſſa, ab omnibus Catholicis inter theologales ennumerata virtutes; quę pro obiecto formali primario *quod* ſolum Deum, vt connotat ſui conſequutionem, quæ media viſione beatifica fit, ſibi arrogat; ſecundario tamen ad bona creata, ſiue naturalia, ſiue ſupernaturalia, ad ſupernaturalem beatitudinem quomodolibet conducentia, ſe extendit; eius autem adęquatum formale motivum, ſeu formalis ratio *ſub qua*, eſt omnipotentia Divina auxilians, vi cuius vincuntur difficultates, & beatitudinis obiectum redditur ſperabile. A beatis, & comprehenſoribus habitum ſpei relegamus; cuius actum vitiari non poſſe, pro comperto habemus. Ad actus ſpei elicientiam, non eſt ſufficiens cognitio de mera poſsibilitate boni, nec poſsibilitas cognita boni, coniuncta cum carentia cognitionis de non futuritione boni, ad actum veræ ſpei regulandum ſufficiens eſt; ſed neceſſario requiritur ad ſpei actum carentia iuditij, de non futuritione boni, & cognitio iudicatiua ſalutem poſitiue futuram repræſentans, non quidem, quæ ſit directa fidei de abſoluta futuritione in re beatitudinis.

(*)

TER-

* TERTIVM THEOREMA. *

CHaritas ſupernaturalis animę decor, & pulchritudo, licet cœteris virtutibus generatione ſit vltima, ordine tamen dignitatis, & perfectionis primam merito ſedem occupat; quia necdum in æſtimatione morali, ſed in phyſica perfectione ſupernaturalis habitum fidei, ſpeique theologicę habitum, longo interuallo præcellit, Apoſtolo, epiſt. 1. ad Corinth. 13. cap. vocitante: *Maior autem horum eſt Charitas.* Habitum charitatis ſupernæ defacto nobis infundi, veritas eſt ſtabilita de fide: vnde noſtris actibus, ſiue naturales, ſiue ſupernaturales exiſtant, non acquiri defacto tuemur; immo id poſsibile non eſſe affirmamus. Charitatis habitus obtinet rationem veræ amicitię ſupernę, inter Deum, & homines quos exornat; quapropter huic pręcellenti virtuti definitionem veræ amicitiæ adaptamus, quæ talis extat apud Doctores: *Amor beneuolentiæ mutuus, non latens, fundatus in communicatione bonorum.* Amicitiam, quæ ordinis ſit naturalis, veræque, & rigoroſę amicitię conceptum obtineat, inter Deum, & homines non admittimus. Actus charitatis ſupernæ, quamtumuis ſæpe eliciantur, nullum, vel naturalem, vel ſupernaturalem habitum generant; immo nec effectiue phyſice cauſant charitatis ſupernaturalis augmentum.

***

*** ***

QVARTVM THEOREMA.

AD diligendum amicabiliter proximum propter ſupernaturalem bonitatem illum ornantem, alia virtus moralis à ſupernaturali charitate diſtincta, nullatenus eſt neceſſaria: vnde talis amicabilis proximi amor, à ſupernaturali elicitur charitate; non ita, vt partialem cum voluntate præbeat concurſum; cum ſit adęquata virtus proxima agendi reſpectu cuiuſvis actus ſupernaturalis charitatis; ſed ita vt adæquata cauſa illum eliciens, conſletur ex habitu, & voluntate.

****

Pro tertia die Capituli Prouincialis hæc aderit Theoremata propugnaturus P. Lector Fr. Ioſeph Thamariz, in almo Aſtigienſi Cœnobio naturalis Philoſophiæ profeſſor, ſub præſidio P. Lectoris Fr. Ludouici de Villauicencio, in Sacra iam Theologia Iubilati, & huius Bæticę Prouincię Secretarij.

Die 17. menſis Februarij. Anno Domini 1693.

Adſtante Rmo. P. N. M. Generali.

SACRARVM LITTERARUM FOECUNDISSIMO ÆRARIO.

VBERRIMO, PARITER, ET CLARISSIMO OMNIGE- næ ſapientiæ fonti, cuius limpidiſsimis limphis, amæna, latiſsimaque candidæ Marianæ Redemptricis Familiæ Prata fœliciter irrigantur, è cuius vberi doctrinarum copia innumeros fere riuulos proſilire, cuncti demirantur, & plaudunt.

MERCEDARII CANDIDI FIRMAMENTI BENEFICEN- tiſsimo ſoli, cuius ſplendeſcentibus radijs, omnes inferiores locatæ in eo Planetæ, fœliciter luceſcunt, & ardent; cuius Paternus erga ſibi ſubditos amor, benignitatem adeò ardenti zelo commiſcet, rectitudinem lenitate, vt in eius, fauſto omine, à cunctis conclamato regimine (vtinam metiretur æternitate) iuſtitiam, pleno ore, deoſculaſſe fœliciter pacem, hilariter gratulentur, & plaudant.

VIGILANTISSIMO SIMVL, AMANTISSIMOQVE PArenti; oculatiſsimo vniuerſi Nolaſcani gregis Paſtori, Moderatori, duci, cuius ad Religioſæ obſervantiæ culturam, indefeſſus continuò zelus, quibus ſermone, & opere præeundo, planam ſanè viam demonſtrat. Sed quo digredior? En iam præinſignis viri, præclaro nomine ſummam.

R.MO P N. M. Fr. IOANNI

ANTONIO DE VELASCO,

CVIVS PRVDENTIAM, ÆQVITATEM, RECTITVDInem, obſervantiam Hiſpaniæ nouæ fœlices apud Indos Prouinciæ, digniſsimum amplexantes Progeneralem, admiratione pariter, & gratitudine celebrant; quem Religioſiſsima Provincia Caſtellæ venerata eſt meritiſsimum Provincialem; cuius dotum denique fœliciſsimum cumulum vniuerſa demirata Religio, in ſuum ampliſsimum Generalem Magiſtrum, æqua filiorum lætitia, divino inſpirante numine, deſtinauit, quē Baronem de Algar, & Dominum de Eſcales Valentiæ Regnum agnoſcit; quem denique Catholicus Hiſpaniarum Monarcha in ſuo Regali conſeſſu, pro immaculata Deiparæ conceptione tuenda, Regium aſsignauit Theologum.

TANTO IGITVR AMANTISSIMO PARENTI, SUA OBSEQVENtiſsima filia, Bœtica Provincia, cœtui Provinciali Conventa, Theologica theoremata iſthæc, ex 3. Ang. P. parte deſumpta, ad pedes prouoluta S. I. O

* PRIMVM THEOREMA. *

MAgnum pietatis Sacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prędicatum eſt gentibus, creditum eſt in mundo. Hęc electionis ſacratiſſimum Vas, cap. 3. epiſt. 1. ad Thimot. de inneffabilis Divinæ Incarnationis loquens Myſterio, dulciter ſcribebat, manifeſtè nobis oſtendens, myſterij huius poſsibilitatem, iam exiſtentia probari; licet autem ſacratiſsima Divini Verbi Incarnatio (quod nomen humanitatis, & divinitatis indiſſolubilem nexum in vna Chriſti Perſona formaliter, & expreſſe ſignificat) ſimpliciter poſsibilis ſit, non tamen humana, vel Angelica mens, quamtumuis volatum extollant, ſi naturali lumini fidant, poterunt vllatenus pervenire ad huiuſmodi poſsibilitatem naturaliter demonſtrandam; immo nec Incarnationis reuelatione ſuppoſita, poterit intellectus creatus, naturali lumini nitens, ad illius claræ cognitionis faſtigium extolli. Divini Verbi Incarnatio fuit proprie Deo conveniens, vt modo perfectiori poſsibili ſuam infinitam bonitatem in creaturas effunderet; fuit etiam conveniens incarnatio naturæ humanæ, & ſalutifera toti orbi. Deus, nec phyſice; nec moraliter extitit neceſsitatus ad incarnandum, potuit immò per aliud medium nos à peccato expiare. Divinum Verbum carnem aſſumens, nec novitatem, nec mutationem fuit paſſum

* ✠ * ✠ * ✠ * ✠ *

SECVN-

* SECVNDVM THEOREMA. *

INcarnationem Divini Verbi convenienti tempore fuiſſe factum, & Pauli verba demonſtrant, ad Galat. cap. 4. & rationes Prǫcept. Angelici ſuadent; quarum ſi maturitatem perpendas, & ſecundam Sanctiſsimæ Trinitatis Perſonam convenientius fuiſſe incarnari, & humanam potius, quàm Angelicam naturam aſſumere, nō dubitabis fateri. Divini Verbi Incarnatio ſub nulla ratione fuit Deo neceſſaria abſolutè, ſed ex ſuppoſitione dumtaxat, quod pro hominum peccatis condignam ſibi ſatisfactionem decreuerit exhiberi. Ex quo nobiſcum deduces; & nullam puram creaturam quantalibet gratia prǫditam, poſſe Deo, pro alieno, vel proprio peccato condignam ſatisfactionem offerre, & Divinum Verbum, in hac decretorum ſerie, nullatenus ad incarnandum veniſſe, primi hominis non exiſtente peccato. Chriſtus Dominus, non condignam, & ſufficientem tantummodo, ſed & ſuper abundantem ſatisfactionem pro hominum peccatis exhibuit; quam ſimpliciter fuiſſe infinitam in ratione ſatisfactionis, ex rigoreque extitiſſe iuſtitiǫ, abſque hæſitatione fatemur. Chriſti Domini ſatisfactio, non à pluribus virtutibus ſimul, & æqualiter fuit elicita, neque à virtute Religionis præciſſe, neque à iuſtitia legali, aut diſtributiua, ſed à iuſtitia ſolum commutatiua. Vnio humanitatis ad verbum, non fuit facta in natura, ſed in perſona: vnde Verbum Divinum humanam immediatè non terminauit naturam ratione ſubſiſtentiǫ abſolutǫ, ſed ratione perſonalis, & relatiuæ.

(***)

TER-

TERTIVM THEOREMA.

DIvinum Verbum humanam aſſumendo naturam non illius tantummodo ſubſiſtentiam, ſed etiam exiſtentiam ſuppleuit. Chriſtus Dominus eſt verè perſona compoſita, & ex humanitate, & perſona Verbi, & ex natura humana, & Divina; at huiuſcemodi compoſitio non debet dici *huius ex his*; ſed potius *huius ad hoc*. Subſtantialis vnio, ſeu nexus, quo Chriſti Domini humanitas verbi copulatur perſonę, realiter ab vtroque extremo diſtinguitur. Formalis terminus aſſumptionis, ſiue actionis vnitiuæ humanitatis ad verbum, eſt illius ſubſiſtentia, vt humanitati communicata; terminus autem totalis eſt perſona ipſa compoſita compoſitione iam dicta. Actio humanitatem aſſumens ad ſubſiſtentiam Divini Verbi, eſt adæquate diſtincta ab actione creante animam, & ab ea, quæ humanitatem producit. Vnio, qua humanitas Chriſti Domini hypoſtaticè perſonæ Verbi coniungitur, ita eſt inneffabilis, & excellens, vt ſi in ratione vnionis conſideretur, ſit omnium maxima, & perfectiſsima; ſin vero in ratione attendatur doni pretioſi in linea exiſtens ſuperna, à gratia ſuperatur habituali. Humanitas Chriſti Domini nullatenus meruit incarnationem de facto; immo nec Dei abſoluto poſſe conſu to, potuit illam merito condigno mereri per opera illam prioritate temporis præcedentia, bene tamen eam mereri potuit de congruo, per huiuſmodi opera tempore ipſa incarnatione priora, ſecus vero per precedentia ſolum prioritate naturæ.

***

QVARTVM THEOREMA.

Opera elicita à Chriſto Domino, & ſubſequutá ad incarnationem, reſpectu illius meritoria non fuere, adhuc merito de congruo. Antiqui Patres non potuerunt incarnationem, merito de condigno mereri; ſi velis autem eam, quoad ſubſtantiam, & circunſtantias merito de congruo meruiſſe; concedere non renuemus. Omnibus divinis perſonis ſimultaneam virtutem ad terminandum eamdem naturam creatam, per ſubſiſtentias proprias, & relatiuas, cum Diuo Thoma concedimus; quod ſi de ſubſiſtentia interroges abſoluta, affirmatiuam dabimus reſponſionem. Quælibet perſona diuina plures naturas creatas ſimúl poteſt terminare immediatè. An autem caſu quo contingeret ita, vnus eſſet tantum homo, vel plures? Vnum tantummodo fore, dicemus. Eamdem reſponſionem accipies, ſi de prima interroges aſſumptione; quia ſi tres Diuinę Perſonę eandem terminarent humanitatem, vnus tantum, in iſto caſu, homo coaleſcere poſſet. Alienam terminare poſſe naturam, ita vnicè perſonæ adaptatur Divinæ; vt creatę, creabili ve, convenire non quæat. Natura quęvis ſubſtantialis completa à Deo poteſt hypoſtatice aſſumi, non tamen propria ſubſiſtentia retenta. Rationalis anima, etiam à corpore ſeparata, à Deo aſſumptibilis eſt in vnitatem ſuppoſiti; repugnat autem materię primæ, quod ſine forma aſſumatur. Verbum humanitatem aſſumpſit propria expertem ſubſiſtentia: vnde propoſitio iſta: *Deus hominem aſſumpſit*, in rigore theologico falſa evadit.

QVIN-

* QVINTVM THEOREMA. *

Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre plenum gratię, & veritatis. Hęc Domini Evangeliſta dilectus ad cap. 1. ſuæ Evangelicæ ſcribit hiſtoriæ; ex quibus D. Angelicus, ſolita ingenij viuacitate, demonſtratiue deducit, quod humanitas Chriſti Domini, ex quo fuit aſſumpta à Divino Verbo, & prout in illo ſubſiſtens, non ſanctitate accidentali præciſſe, quam gratia præſtat habitualis; ſed ſubſtantiali etiam, quæ confertur à gratia vnionis, formaliter extitit exornata; itavt, ſi per impoſsibile habituali gratia careret, adhuc humanitas verbo vnita, formalis perfectiſsimæ ſanctitatis decore, exiſteret exornata. Subſtantiale donum Chriſti Domini ſacratiſsimam humanitatem ſanctificãs, eſt divina ſolum natura ſecundum proprium conceptũ: vnde conceptus formæ ſanctificantis perſonalitati Divini Verbi, prout diſtinctæ virtualiter à natura, convenire nullatenus poteſt; ſimiliter de vnionis modo ſentimus; ſi autem velis, illum eſſe formam beatificantem Chriſti Domini humanitatem, libentiſsimè concedemus. Præter ſubſtantialem gratiam vnionis, gratiam habuit Chriſtus habitualem, non phyſice tanquam proprietas ab illa, veluti à radice dimanans, ſed immediate producta, & collata à Deo. Finita fuit de facto gratia habitualis in Chriſto, & quo ad graduum intenſionem, & quo ad eſſentiam; eam tamen poſſedit Chriſtus defacto in intenſiori gradu de lege ordinaria poſsibili; cum hoc tamen recte cohæret, quod augmentum recipere valeat, abſoluta Dei potentia conſulta.

* SEXTVM THEOREMA. *

HAbitualis gratia fuit in Chriſto Domino neceſſaria, iuxta Angelicum P. vt meriti, & ſupernaturalium actionum conſtitueret connaturale principium, Debtamen inſpecto abſoluto poſſe, Chriſtus Dominus, ſine illa, & ſupernaturaliter operari, & mereri valuit ſimpliciter. In anima Chriſti Domini, à primo extiterunt ſuæ conceptionis inſtanti, omnes virtutes ſupernaturales, & per ſe infuſæ, illis tantummodo exceptis, quę cum vnione hypoſtatica, & cum beata pugnant viſione; quapropter fide, & ſpe ex theologicis caruit; & ex moralibus pœnitentia. Virtutes morales per ſe acquiſitæ, Chriſto Domino infuſę fuerunt, à primo ſuę conceptionis exordio; non vero illas proprijs actibus comparavit. Liberalitatem, magnificentiam, iuſtitiam, eutropeliam, & philotimiam in Chriſto fuiſſe concedimus; immo illarum actus, dum cum hominibus verſaretur in mundo, pluries exequutum fuiſſe, Sacrę Paginæ paſſim teſtantur. Omnia Spiritus Sancti dona, à primo ſuę conceptionis momento, Chriſti Domini animam ornauere, in qua etiam formaliter extitit gratia capitis; hęc autem ęqualiter non conſiſtit in vnionis gratia, & habituali, neque in gratia vnionis in recto, & in habituali de connotato; ſed in habituali gratia in recto conſiſtit, connotante tamen, & eſſentialiter ſupponente ſubſtantialem gratiam vnionis.

****

*****

SEP-

* SEPTIMVM THEOREMA. *

CHriſtum Dominum intellectu creato ſcientię plenitudine prędito, à primo ſuæ conceptionis inſtanti gaudere, immane erit negare faſcinus: vnde non vnica tantum intellectione intelligere, ex divina, & creata compoſita, omnimoda firmitate eſt tenendum; immo abſolutam implicationem involuit, quod intellectus Chriſti creatus intelligat per cognitionem divinam. Potitus fuit Chriſtus beata ſcientia, à primo ſuæ conceptionis exordio; hac creaturas omnes cognoſcit in verbo; ſi tamen præſentes ſint, pręteritę, vel futurę, de poſsibilibus namque diſsimiliter eſt ſentiẽdum; quia ſi omnes in Divina Eſſentia cognoſceret, illam comprehenderet, quod repugnat. Præter hanc ſcientiam beatam, habuit Chriſtus naturalem, & ſupernaturalem ſciẽtiam infuſam; per primam res omnes, quæ ſunt ordinis naturalis cognoſcit, abſque phantaſmatum famulatu; ſecunda autem omnia entia ſupernaturalia pertingit, quæ ſunt producta defacto, non ſolum cognitione quiditatiua, ſed etiam comprehenſiua; immo per ſcientiam hanc ſupe rnaturalem infuſam, omnia naturalia obiecta cognoſcit, non ſolum ſecundum rationes genericas, & communes, verum etiam ſecundum peculiares, & indiuiduas. Futura contingentia à Chriſto Domino cognoſcuntur per ſcientiam ſupernaturalem infuſam, non in libero Dei decreto de illorum futuritione, ſed in propria illorum ſpecie, ea immediate repræſentante. Humanitas Chriſti Domini eſt cauſa phyſica inſtrumentalis miraculorum, & gratiæ nobis collatæ; reſpectu autem gratię antiquis Patribus preſtitæ, fuit Chriſtus cauſa moralis.

OCTA-

✱ OCTAVUM THEOREMA. ✱

CHriſtus Dominus fuit abęterno prędeſtinatus ad filiationem Dei naturalem, ipſaque Dei naturalis filiatio eſt illius prædeſtinationis terminus formalis, & principalis: vnde Chriſtus, in quantum homo, ita naturalis filius eſt Dei, vt illi adoptiua filiatio repugnet. Liberum Chriſti Domini arbitrium fuit ad bonum honeſtum quoad ſpeciem ſimpliciter necesſitatum; quapropter, nulla potentia conſulta, potuit peccatum patrare; ſed potius impeccabilis extitit ab intrinſeco; cum hac tamen impeccabilitate recte cohæret, meritum in eius operibus per poſitiuū, & rigoroſum pręceptum directis (quale fuit quod habuit à Patre de morte ſuſcipienda) non per recurſum ad circunſtantias, neque ad præviſionem per ſcientiam mediam. Meruit etiā Chriſtus Dominus per actum charitatis ſcientia regulatum beata; eiusque operationibus meritorijs valorem concedimus in genere moris ſimpliciter, & abſolute infinitum.

✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱

Pro quarta die Capituli Prouincialis, ingeniorum acuminibus aderit reſponſurus P. Lector Fr. Gaſpar de Nauas; ſub tutamine P. Lectoris Fr. Franciſci Suarez in Regio Granatenſi Cœnobio olim Primariæ Cathedræ Moderatoris Theologi, nunc vero ibidem Studiorum Regentis. Die 18. menſis Februarij. Anno à Partu Virgineo

1693.

Coram Rmo. P. N. totius Ordinis Generali Magiſtro.

GRANATAE,
EX OFFICINA REGIA
FRANCISCI
DE OCHOA,
IN ANGIPORTU
DE ABENAMAR.
ANNO DOMINI
1693.